



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De modicitate refectionis eius, per plures annos. VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

CAPVT VI.

De modicitate refectiois eius, per plures annos.

Post hæc in tantum crescebant & multiplicabantur infirmitates eius, vt omnibus viribus corporis destituta, lecto penitus decumberet; ita quòd in spatio triginta trium annorum, ante mortem suam terram non tangeret. Refectio autem eius, post tres primos annos vsque ad decimum-nonum egritudinis ipsius annum, fuit ex modico & parco & incredibili satis alimento, pro sustentaculo tam ægerimæ vitæ humane. Interdum modicum fragmentum de pomo, supra ignem calefacto; aliquando parum panis, cum modico sorbello ceruissæ spumantis. quandoque parum dulcis lactis capiebat. Postquam verò talibus vti non poterat præ debilitate corporis, per annos aliquot vsa est in hebdomada media pinta vini puri sine admixtione aliqua; quod tamen postea per aliquot annos oportebat cum aqua misceri. Interdum quoque sumebat modicum de speciebus saccari, vel cinnamomi, vel muscati, vel dactylorum. Sed cum istis amplius vti non poterat edendo vel sorbendo, solam aquam sumebat; scilicet mediam pintam aquæ Mosalis in hebdomada, quæ singulari Dei munere tantam suauitatem ei conferebat, quòd omnem vini saporem excedebat, de quo magnas Deo gratias referebat.

2. Eo etiam tempore hanc gratiam à Deo habuit, quòd solo gustu discernebat inter aquam Mosæ affluentem & defluentem, quando ex illius haustu poculum sibi allatum sumpsit. Fuit quoque multis annis, (quod amplius mirandum est) vt nullo cibo vel potu corporali nec somno vteretur, excepto Corpore Christi, singulari omnium dolorum suorum remedio atque solatio suauissimo, præ omnibus cibis sibi sapidissimo.

CAPVT VII.

De varijs languoribus & doloribus, eam die noctuque torquentibus.

Completum est in hac virgine, quod de beato Iob legitur: Nocte os meum doloribus perforatur; & qui comedunt me, non dormiunt; à multitudine eorum, consumitur vestimentum meum. Igitur deficientibus medicorum artibus & ciborum nutrimentis, languores eius quotidie augmentabatur in peius. Iacebatq; in lectulo tuo virgo miserabiliter afflicta, & corrosa à vermibus; qui de virgineo corpore ex putrefactione orti, carnes eius